



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. XXXXII. Postremus morbus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

peditis. Quin cùm ipsi innotuisset P. Paulum ante suum iter cupere ad alloquium admitti, & pedibus sacris osculum figere, suam ipsi rhedulam obrulit, ut minore cum incommodo veniret; uti & lecticam, quâ Albanum veheretur.

## §. XXXXII.

*Postremus morbus.*

**D**Um ad profectiorem istam se P. Paulus accingit, aliam ipsi DEUS longinquiorem beatam in patriam imperavit. Septimo Idus Decemb. tantis mali vis accessibus repente aucta est, ut miser infirmus, vomitus, deliquia & præ ceteris quasdam pectoris convulsiones pati inciperet, quæ illum mala diem totum acerrimè excruciant; sic ut existimen postremam hanc fuisse afflictionem, quâ DEUS animam sibi tam caram voluerit perpurgare. Patres ejus Domus incolæ, cùm in momenta deficientem conspexissent, è re futurum crediderunt, si de imminente migratione ipsum commonerent. Quomodo autem monendus esset, jam ipse inde à principio morbi sui conceptis verbis in quodam Valetudinarij libello, ad ejus Præfectum admonendum expresserat: & erant hæc: Formula, quâ mortem instantem nuntiabis Patri N. N. Age Pater, bono esto animo; adest tandem hora, quâ porro DEUM non offendes. Ita Pater Paulus, qui ob finem tam nobilem desiderabat mortem, & in unâ Concionum per Venum Jejunium id egit unicè, ut doceret rationem, quâ fatalem hanc sententiam à benigno Numine excipere oporteat. Mox igitur ac nuntium hunc accepit, sublatis magnâ pietatis significatione in cælum oculis, nihil turbatus,

hilari vultu illa Christi Servatoris verba pronuntiavit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Ma-  
ne sequentis diei, quæ Deiparæ sine Labe conceptæ sacra  
erat, Eucharistica dape in ejusdem Virginis honorem refici  
voluit, séque supremi Numinis voluntati totum in victi-  
mam obtulit. Post meridiem subinde multum aucta est  
dolorum acerbitas, & cum ipse viribus vehementer se desti-  
tui animadverteret, decedenti in Viatico muniri petiit;  
sed quia paucis ante horis cælesti eâ escâ pastus fuerat, non  
est visum huic ejus voto deferre. Unde divina hac animi  
refocillatione destitutus, conatus est defectum religiosissi-  
mis animi sensis & affectibus supplere, quos etsi more suo  
nullis foris indiciis prodere studeret, non ita tamen tenere  
se potuit, quin linguæ ministerio erumperent; fuitque in-  
ter cetera pia in cælum jacula, ore emissa, illud præcipuè:  
*Benedicum Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore  
meo: & ingeminavit sæpius: semper, semper, semper*, tanto  
sensu, ut præsentibus omnibus teneras lacrymas exciret.  
Nec minore animi contentione illud aliud effari auditus est:  
*Abyssus abyssum invocat: abyssus miseria invocat abyssum mise-  
ricordia.* Quæ verba à mellifluo Doctore didicerat; qui sic  
priora illa Psalmi ad mores traduxit.

## §. XXXXIII.

*Pia Patris mors.*

**I**Nterim P. Felix Barnabeus, P. Pauli Socius, festinus ex-  
currit ad Summum Pontificem, ut quo loco Patris res  
essent, nuntiaret. Admisit illum confestim Pontifex,  
nec infra dignationem suam duxit, minutim de viri statu o-  
mnia